

E Prov. Germ. Sup. — *De Fratre laico Maximiliano Schmalzl.* — Vi-
detur decere in Analectis nostris breviter carissimum Fratrem laicum

(1) Plura legi possunt in *The Eikon h. a.*, p. 193-196, quod periodicum Provinciae
Torontinae benigne tabellam cupream imaginis nobis commodavit.

Maximilianum Schmalzl commemorari, qui iam anno superiore aureum suae professionis iubilaeum celebrare potuit, hoc vero die 7 Iulii annum aetatis octogesimum ingressus est. Quis nostrum non fide illuminatus sit, quis non piis affectibus imbutus, visis eius bellis imaginibus, quibus libri liturgici domus Friderici Pustet abundant? Et cum Pius X Graduale et Antiphonale Romanum cum cantu Gregoriano authentico typis Vaticanis edenda curaret, hos quoque codices imaginibus confratris nostri exornatos voluit. Huc accedunt tabulae paene innumerae, quas coloribus depinxit, ac tot oratoria et templa, quae suae artis cimelia effecit. Hic nominare sufficiat sacellum bavaricum templi S. Ioachim de Urbe, ecclesiam nostram loci Cham, aedem Marianam Vilsbiburg, paroecialem Kraiburg, oratoria Garsensia. In omnibus his operibus nihil omnino reperitur quin pietatem eximiam spiret et sanctam simplicitatem atque angelicam puritatem. Maxime autem huic artifici clarissimo laudi vertendum, quod semper mansit reliquiosus humilis, obediens, orationis amantissimus, denique genuinus S. Alphonsi filius.

Oremus pro hoc confratre admodum sene et optime de Congregatione merito, ut Deus O. M. ei vitae vesperum tranquillum concedat ac post beatum transitum coronam paradisi fulgentissimam. (1)